



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

VI. Solonis,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

mes esse iussit: capitale demum odium, & perpetua dissociatio consecuta est ab Alexandri Magni temporibus, ex quo Manasses Jaddi Pontificis frater, Sanaballetis Satrapæ, qui Darii nomine Samariam regebat, filia uxore præter fas & Legis præscriptum ducta, Sacerdotio exautoratus est. Cujus injuriæ impatiens, ne amatam conjugem dimitteret, confugit ad socerum, & Templo ab eo in monte Garizim instructo præfectus, Pontificem se gessit. Tempore ab hoc nullus amor populis, nec fœdera fuerunt, sed implacabile dissidium, quod ad hanc diem perseverat. Et tamen utraque gens suum Pentateuchi codicem habet, nihil vel parum certe dissentientem; hunc Samaritanis literis exaratum, qui veteres fuerunt Chananæorum characteres; illum Judaicis, qui post captivitatem Babylonicam ex Assyriis detorti sunt.

Thaletis,

Joseph. libr. 1.
contr. Apion.
Laërt. in Thale-
te.

V. Circiter trigessimam quintam Olympiadem florebat Thales, oriundo Phœnix, Ægyptiorum & Chaldæorum sine controversa discipulus, uti de ipso prædicat Josephus. In Epistola autem Thaletis ad Pherecydem, quæ refertur à Laërtio, & *αλεθλιας* mihi suspecta est, in Ægyptum penetrasse se ait, non ut cum Astronomis solum, sed & Sacerdotibus congregaretur. Quem deinde morem adeunda Ægypti tenuerunt vetustiorum Græciæ Philosophorum plerique, ut ex ipsis fontibus puriores patriæ doctrinæ latices haurirent. Non semel igitur candide agnoscit Plato, alique complures, quæcunque de rebus divinis à Græcis disputata sunt, ex Ægyptiis scholis esse profecta. Idem argumentum persequitur Plutarchus in Libello de Iside & Osiride, clarissimosque Græcicæ Philosophiæ antistites, Thaletem, Solonem, Pythagoram, Lycurgum, Platonem, & Eudoxum, in Ægyptum philosophandi causa se contulisse narrat, & Ægyptiis magistris esse usos, quorum & nomina recenset. Ex Ægyptiorum ergo quos adierat, & Phœnicum ad quos genus referebat, rivis, in quos magnam Mosaicæ doctrinæ copiam confluisse mox ostendemus, abunde Thales hortulos suos irrigavit. Hinc Deum definebat, Quod principio & sine caret, quod rerum omnium antiquissimum est: atque hanc aiebat esse Mentem, quæ cuncta ex aquis formavit. Hinc hominum cogitata Deo perfecta esse sciscebat. Hinc hominum animos primus immortales esse dixisse fertur. Hinc lucem tenebris posteritorem esse statuit. Quæ non ex apothecis Philosophiæ, sed ex intimis veræ Theologiæ myrorhæcis deprompta sunt.

Solonis,

Plutarch. De
Isid. & Osir.
Diodor. libr. 1.

VI. In dubia eadem & suspecta ad Pherecydem Epistola, Solonem itineris in Ægyptum socium habuisse se ait Thales, & cum Sacerdotibus, ac Astronomis Ægyptiis utrumque esse conversatum. Idem testatur Plato in Timæo. Sonchin & Psenophin Sacerdotum illorum celeberrimos nominat Plutarchus. Tradit Diodorus Solonem, itidem ut Lycurgum, multa de legibus Ægyptiorum in legum suarum collectionem transtulisse; cum alibi Mosaicis legibus usos Ægyptios docuisset. Inde fit ut pleraque Atheniensium instituta Mosaicis fuerint consimilia, ut paulo post notabimus. Inde inter illustriora ejus effata celebratur illud, quo Diis honorem, parentibus reverentiam exhiberi præcipiebat. Atque ea sane è Decalogo petita erant.

Pythagora,
Jambli. De vit.
Pyth. libr. 1. c. 2.
Euseb. Præp. l.
10. c. 4.
Cleanth. apud
Malch. de vit.
Pyth. & Clem.
Alex. Strom. 1.
Jambli. De vit.
Pyth. libr. 1. c. 3.
Athen. libr. 1.
Joseph. Antiq.
libr. 1. cap. 4.
Tatian. Orat.
contr. Gent.
Diog. Laërt.
Proctem. Sui-
das in *αποτ.*
Strab. libr. 16.
Sext. Emp.
adv. Math.

VII. Hos excipit Pythagoras Samius, in Syria natus, juxta Iamblichii, aliorumque sententiam. Is itaque patriæ revisendæ desiderio, Sidonem, Tyrum, & Byblum navigavit, ac totam fere lustravit Syriam, & Chaldæos, Ebræos, Arabes, ac Ægyptios præceptores habuit. Scribit Iamblichus Sidone congressum fuisse Pythagoram cum Mochi Physiologi successoribus. Mochi historici Phœnicis, qui res gentis suæ patria lingua prodidit, meminerunt Athenæus, Josephus, & Tarianus. Ochus appellatur apud Dionegenem Laërtium, & Suidam. At is quem commemorat Iamblichus, de rerum natura differuit. Itaque hic ipse est, quem Moschum Sidonium appellat Strabo, quemque Physica tractasse ait, & Trojano excidio fuisse vetustiorum. Meminit ejusdem & Sextus Empiricus, ab eoque doctrinam suam Democritum petivisse statuit, auctore Posidonio. Hinc ergo emendandus Iamblichus, & pro, *Μόχου*, quod etiam in scriptis Codicibus reperi, scribendum, *Μόχου*. Atqui, *Μόχου*, ipsissimum videtur, *משה*, Moyses, qui merito *μοσολογος* dictus est, ut pote qui scripserit de rerum primordiis, & quique Trojanum bellum ætate præcessit, & Sidonium credi potuit ab iis qui patriam ipsius ignorabant, vel quod in hac potissimum urbe propagata fortasse fuerit ipsius doctrina, multique eam amplexi sint, vel propter Judææ viciniam: nonnumquam enim cum Phœnicibus Judæos confundi certum est. Adeunda Ægypti auctor Pythagoræ fuit Thales: abeuntem Polycrates commendatitius ad Amasim Ægypti regem literis profectus est, Amasis vero ad Ægyptios Sacerdotes. Quo cum pervenisset, Sonchidi Archipropheta in disciplinam se tradidit. Ac primum eum circumcisum ferunt: tum deinde per viginti duorum annorum decursum, non Astronomicis solum, & Geometricis, sed sacris etiam, & interioribus doctrinis institutus est, & omnibus Deorum mysteriis initiatus. Chaldæos quoque, Assyrios, & Persarum Magos audivit,